

8620.

1762, 11.

AN
LEGATVM A DEBITORE
CREDITORI RELICTVM DEBITI
COMPENSATI PRAESVMTIONEM
INDUCAT
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS
CONSENSV
P R A E S I D E
D. HENR. GODOFREDO BAVERO
SVPREM. CVR. PROVINCIAL. ET CONSIST.
LIPSIENS. ADV.
IN AVDITORIO ICTORVM
D. XXX. OCTOBR. A. C. MDCCCLXII
DISPVVTANDO INQVIRET
CAROLVS ADOLPHVS RVHM
LVB. LVSATVS.

LIPSIAE
EX OFFICINA LANGENHEIMIA

LEGATUM A DEBTORI
CIVICIS ORGANISATIONI
COMPARSISI PRESENTATIONI
IN INDIACAE
PROSTRAZIA MORTUAM ordinis
CONVENTUS
KASTELL
D. HENRICI GODOLPHI BAVERO
IN LEGATORIUM
MODERATIONE
PRAESENTATIONE
CEREMONIA ADORATIONIS TERRINI
ET ALIA



LEGATVM CREDITORI FACTVM
DEBITI COMPENSATI PRAESVMTIONEM
NON INDVCIT.



§. I.

utrum omnis interpretatio sit dubiae legislatoris *Introitus*.
voluntatis explanatio, tamque variae sint homi-
num opiniones, vt ne duos quidem ex plurimis,
qui iisdem imbuti fuerint paeceptis, omnino
eadem sentire videoas, quid mirum, si tot eam tamque variis
abundare controuersiis deprehendas. Praesertim, quod in
ambiguis orationibus in primis sententia eius spectanda est,
qui eas protulit, et quilibet facile sibi prudentior aliis in

A 2

diui-



diuinanda au^toris sententia videatur. Neque adeo me-
tuendum est, fore, vt aliquando desinant in iuris nostri tam
vasto corpore dissensiones, quae ipsae magis etiam cresce-
rent, nisi certa adessent praecepta, siue prae*suntiones* gene-
rales, ipso iure nostro probatae, quae in disputandis causis
specialibus siue exemplis, modo iustam et veram earum
sententiam assequamur, prae*cipuam* sibi vim et robur vin-
dicant.

§. II.

*Omnis inter-
pretatio vlti-
marum vo-
luntatum ad
voluntatem
testatoris
componi de-
bet.*

Eadem est ratio vltimarum voluntatum, quae insigni
gaudent fauore, quibusque seruandis tam curiose studet ius
nostrum, vt instar legum eas custodiat, modo iustae sint, et
legum praeceptis respondeant, adeo, vt nemo sibi ipsi testa-
menti factiōnem admere valeat. Et ad has vltimas volun-
tates, et in tuendis iis Iuris Romani studium ipsum, illud
MAECIANI ICti responsum in *I. 96. D. d. R. I.* pertinet,
ex quo facile colligimus, eo redire omnes, quas propositas
conspicimus in iure nostro circa interpretationem vltima-
rum voluntatum regulas, vt de vera testantium voluntate
constet, quod et confirmat PAPINIANVS in *I. 67. §. 8. D.
d. Legat. II.* dum dicit, si res dubia sit, credendum non esse
testatorem, grauare heredem suum voluisse, idque, quia ipsa
institutio tenerrimi erga heredem amoris fidem facit.

§. III.

*Transitus ad
rem prae-
tem.*

Quodsi igitur testator creditori suo quid legauerit, fa-
cile hanc ob causam videri potest, id voluisse, vt ne repeatat
creditor, quod sibi debeatur, sed legatum in solutionem ac-
cipiat.

cipiat. Apparet, nos hoc loco de quantitatis debitore tantum loqui, quem proprius debitorem dici nouimus. Et enim de debitore speciei haec voluntas propterea testatori ne affungi quidem potest, quoniam species cum specie compensari nequit, et speciei dedito ab obligatione sua non liberatur, inuito creditore, siue domino, nisi rem ipsam restituat, quam scimus in genere naturam esse obligationum, quae ad rem certam alteri praestandam alterum devincunt, excepto tantum interitu casuali, qui, praeter realem praestationem, regulariter obligationem dissoluit. In quantitatis igitur debitorem solum cedit haec controvrsia. Quam Recensentur hunc in modum prout ex CARPZ. P. III. C. 23. def. 29. terpretum.
 HOPP. ad Infitt. L. II. Tit. XX. §. 14. n. 1. et BERGER.
 Oecon. Iur. L. II. Tit. IV. n. 4. ad quos prouocasse sufficiat, intelligimus, communiter interpretes dirimunt, ut inter debitum conventionale et legale distinguant, probationem suae opinionis in l. 22. §. 3. D. Solut. Matrim. in primis et Auth. Praeterea in fin. C. vnd. Vir et Vx. collocantes. Quae distinguendi ratio STRVPIO in Syntagm. Iur. Civ. Exercit. XXXV. §. 12. displicet, qui vtrumque, et legatum, et debitum, exigi regulariter posse, nisi voluntatem compensandi testator declarauerit, autumat.

§. IV.

Quae sententia, si verum intelligo, et naturae rei, et Struui sententia probatur. nostri rationi, magis conuenit. Quod probandum erit. Nouimus, legatum esse donationem quandam §. 1. Inf. d. Legat, adeoque liberalitatem ipsa essentia sua continere. Ex quo necessario consequitur, testatorem, si legat, hoc ipso

A 3 decla-

*Pertinet haec
controvrsia
ad solum
quantitatis
debitorem.*

◆ ◆ ◆

declarare, se legatario dare aliquod velle, ad quod ei praestandum nulla iuris necessitate erat obligatus, ut dubium non sit, quod heredem hoc ipso obligare voluerit. Debitum, quod praestare testator ipse tenebatur, vel, quod, mortuo denum testatore, existit, heredem plane non grauat, quia hereditas non intelligitur, nisi, deducto aere alieno. Ut adeo hic plane non sit locus regulae concedendus, ex qua in dubio censeri non debet testator, quod heredem gravare voluerit, idque, quia debitum ipsum vere nullum heredis grauamen continet; et, quod legato inest, quo ipso legauit, se velle, testator abunde declarauit, ut ad heredem pertineat. Profecto iniurium esset in testatorem, putare, quod agendo nihil agere voluerit. Aut igitur plus est in legato, quam in debito, certeque, debito evanescente, pro eo, quod inest debito, inutile fit legatum, data heredi compensandi venia, aut leuius debito est, vel eiusdem qualitatis; et omnino inane est, quae est ratio debiti legati, quo nihil amplius, quod non habuerit antea, creditor consequitur §. 14.
I. d. Legat.

§. V.

Et II. confir-
matur.

Hanc sententiam satis confirmat I. 16. C. d. Legat. ex qua creditor, cui pignus a debitore legatum fuit, hoc ipso ius exigendi debiti non amittit, quod fere iisdem verbis PAVLVS in I. 85. D. d. Legat. II. effert, magisque declarat verbis: *si voluntas testatoris compensare volentis ejus denter non ostenderetur.* Vnde patet, sic in genere de legato debitori factō esse habendum, probandamque adeo generalē aduersariis debiti legalis exemptionem, quod, prout monui,

nui, l. 22. §. 3. D. Solut. matrim. sibi praestare videntur. Verba cit. *Sphi* haec sunt: *Si pater, filia absente, de dote egerit, eius omessa sit de rato satis datio, filiae denegari debet actio, siue patri heres extiterit, siue in legato tantum acceperit, quantum dotis satis esset.* Omni exceptione maior est interpretatione huius legis a SCHILTERO Exercit. ad Pand. XXXIX. §. 20. exhibita, ut videlicet verba; *quantum dotis satis esset,* non ICti, sed ipsius testatoris, adeoque hanc legis sententiam habeamus, mulier, heres patris, dotem petere prohibetur, quia heres est, idemque dicendum, si testator dixerit, se tantum filiae suae, quantum dotis nomine debeat, legare, et hoc legatum filia acceperit, quam interpretandi rationem ipse SCHILTERVS egregie confirmat l. 34. §. 5. D. d. Legat. 2. Nec minus ad eius confirmationem conductit l. 53. eod. et l. 6. C. d. Heredib. insit. vbi debitum dotis, vel aliud cuiuscunque generis, legato, vel hereditatis parte, compensandi ergo reliqua, expirare legimus, indeque, nisi me fallunt omnia, recte colligimus, illud subsistere, nulla compensationis mentione a testatore facta, praesertim, quum eadem sit POMPONII in l. 4. D. d. dot. collat. sententia verbis: *si pater pro filia dotem promiserit, deinde exheredatae vel etiam emancipatae praeteritae legatum dederit, habebit filia etiam dotem praecipuam et legatum,* contra quod ICti responsum non intelligo, quid monendum superesse possit aduersariis.

§. VI.

Vt potius, quam, de dote, euictum sit, non aliter, quam de conventionali quodam debito, habendum esse, omnino *Conciliantur II. obstantes.*
statua-



statuamus, ne inane sit legatum, compensandi animum testatori non posse affungi. Nec dubiam reddere, et infirmare hanc sententiam debet cit. Auth. C. vnd. vir et vx. et ad quas haec potissimum respicit Nov. 17. cap. 7. et Nov. 53. cap. 6. quae viduae inopi successionem legitimam in certam defuncti mariti bonorum partem concedunt, in eamque legatum imputari sinunt, partim, quod ratio huius successio-
nis, quae est inopia, relicto legato, exulat, partim, quod exceptio regulam in exemplis non exceptis confirmat. Ad quam infirmandam aequa parum facit Nov. 15. cap. 5. quae in legitimam liberis reliquendam imputare legata constituit. Neque hoc mirum. Scilicet in hac visione de testatoris id exigentis voluntate constat, quam seruare potissimum liberis incumbere debet. Naturae vinculum, et indigentia liberorum suadet, ut hi ad successionem parentum perueniant, simulque id imponit liberis reuerentia, parentibus debita, officii, ut, quantum fieri possit, sequantur sui parentis voluntatem. Igitur, quo ipso testator alium scripsit heredem, declaravit, se illum filio suo, qui lege successurus fuisset, anteponere, filius vero, si tantum accipiat, quantum iura ei tribuunt, aequum est, ut in voluntate patris adquiescat, modo heres scriptus, adeoque honoratus sit, et si non satis vi huius tituli capiat.



ULB Halle
006 385 451

3






Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-400698-p0012-2

DFG



8620. 1762, 11.

A N
LEGATVM A DEBITORE
CREDITORI RELICTVM DEBITI
COMPENSATI PRAESVMTIONEM
INDUCAT
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS
CONSENSV
P R A E S I D E
D. HENR. GODOFREDO BAVERO
S V P R E M . C V R . P R O V I N C I A L . E T C O N S I S T .
L I P S I E N S . A D V .
IN AVDITORIO ICTORVM
D. XXX. OCTOBR. A. C. MDCCLXII
DISPVTANDO INQVIRET
CAROLVS ADOLPHVS RVHM
L V B . L V S A T V S .

L I P S I A E
EX OFFICINA LANGENHEIMIA